

N. 248.

A. D. 1356

(30 giugno; Indiz. IX) - Barletta

Provenienza Cattedrale.*Descrizione* Taglio rett: alt. m. 0,30; larg. m. 0,36 e mezzo. Due piccoli fori al centro.*Contenuto* Ludovico, re di Sicilia, riconferma al Vescovo Cannese l'esazione della decima di 2 once d'oro per *ogni miliare* di sale, proveniente dalle Saline di Canne. Il pagamento era stato interrotto *propter turbata tempora Regni*.

Ludovicus dei gratia Rex Ierusalem et Sicilie ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et fortalquerii, ac Pedimontis Comes. Secretis Magistris Portulanis, et procuratoribus, ac Magistris Salis Curie in Apulia, nec non credenceriis, Cabellotis, seu preceptoribus, quibuscumque, Salinarum, Cannarum, presentibus et futuris fidelibus nostris gratiam et bonam voluntatem. Venerabilis pater, frater Raynaldus Cannensis Episcopus Cappellanus consiliarius, fidelis et devotus noster dilectus, Maiestati nostre supplicavit humiliter, ut cum predecessores sui, in Episcopatu Cannensi, a Catholicorum Regum Sicille temporibus, et usque ad tempus, recolende memorie domini Roberti dei gratia Ierusalem et Sicilie Regis Incliti patris nostri et domini Reverendi, ex decima salis salinarum dicte terre Cannarum uncias auri duas ponderis generalis, pro quolibet miliare salis in dictis Salinis confecti singulis annis percipere consueverunt et habere, de quibus propter turbata tempora huc usque Regni, supplicans ipse, nichil habere potuit, exhiberi ei huiusmodi uncias duas, pro quolibet miliare dicti salis conficiendi, ex nunc in antea, annis singulis in salinis predictis, benignius manderemus, cuius supplicatione admissa, fidelitati vestre, de certa nostra scientia percipiendo mandamus, quatinus, sint predicti predecessores eiusdem Episcopi, a Catholicorum Regum Sicilie temporibus et usque ad tempus et tempore dicti Regis Roberti, huiusmodi uncias duas pro quolibet miliare, dicti salis confecti, in salinis predictis, ratione predictae Cannensis Ecclesie consueverunt, ut predicatur singulis annis, a principio presentis anni none Indictionis. de certa nostra scientia, et ex nunc in antea, usque ad nostrum beneplacitum de pecunia Iurium, et proventuum dictarum salinarum Cannarum sistentia et futura per manus vestras, eidem Episcopo, vel eius pro eo procuratori, aut nuncio solvere et exhibere curetis, et recipiatis exinde apodixam, ordinatione seu mandato nostro et Illustris (*sic*) Regine consortis nostre Carissime, quocumque contrario, per quam seu quod effectus presentium Impediri possit in aliquo vel differri, etiam si de illo vel aliqua eius clausola esset in presentibus plene et expresse ac de verbo ad verbum mentio facienda, et eo precipue, de omni fiscali pecunia, et specialiter supradicta ad nostram Cameram destinanda, executioni presentium non obstantia, nec obsistere presentibus volumus que sigillate non sunt, sigillis pendentibus nostre, et dicte Regine ac q ad exhibitionem fiscalis pecunie deputato, et Reginali secreto, ac data in Camera nostra, non continetur in illis, cum eas propter obstantiam (*sic*) dicte Regine, tantum in presenti forma, sub secreto nostro anulo fieri Iusserimus, quas tanti vigoris esse decernimus, quanti si essent sepedicti omnibus sollempnitatibus communitae, easque, in vestro computo, audiri